Pachnicke. De Philosophia Epicuri

DE

PHILOSOPHIA EPICURI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE HALENSIS

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATAE

IMPETRANDOS SCRIPSIT

CONSENSU ET AUCTORITATE ILLIUS ORDINIS

HERMANNUS PACHNICKE

SPANDOVIENSIS.

HALLE 1882.

TYPIS EXPRESSIT E. HOPF.

Prof. Dr. Friderico Nietzsche

has primitias

dat dicat dedicat

auctor.

Depone istam spem, posse te summatim degustare ingenia maximorum virorum: tota tibi inspicienda sunt, tota tractanda.

Magna doctissimorum hominum de Epicuri philosophiae natura et virtute per saecula fuit dissensio. Quin etiam adhuc ejus disciplinae totius sententia voluntasque atque permultae res singulae adeo non satis explicatae aut aestimatae sunt, ut Groteus ille Epicurum justa judicia nondum consecutum esse recte et mihi censuisse videatur. Quodsi tandem tribui, quod debetur, volumus, necesse duco esse principio, cum quomodo formam philosophiae auctor fundaverit et exstruxerit enucleetur, fundamenta sine ira et studio substrui, in quibus quae non jam dilui possit dignatio ponatur. Quae quaestio ut ad exitum perducatur, ipse quoque, quoad ejus fieri potest, aliquantulum conferre intendo. Nihil scilicet novi dicam, ea tamen, quae ex ipsis fontibus omnia fere manant quaeque soluto ac libero judicio illustrata sunt.

Sed priusquam ad hanc philosophiam, quam breviter strictimque exponendam proposui mihi, aggrediar, pauca de eis, quae in litteris antiquitatis memoriae nostrae de hac causa prodita sunt, disseram.

Ipse Epicurus [1] rationem et inventa sua auctore Diogene Laertio [2] voluminibus circiter trecentis mandavit. Inscribuntur hi libri de natura, de atomis et inani, de diis, de vitis, de visu, de tactu, de fato, de imaginibus, de rebus musicis, de amore, de donis et gratia, de fine, de rebus expetendis et fugiendis [3] cett.

Superest idque decimo libro Diogenis L. vitarum nihil nisi tres epistulae quasi compendium doctrinae continentes ad Herodotum, ad Pythoclem — has duas excerpsit Eudocia in violeto —, ad Menoeceum missae, quae omnium fere consensu genuinae existimantur, atque ratarum sententiarum, quas breviter et commode dictas discipuli memoria complecti et tenere solebant, bona pars. Fragmenta librorum de natura in voluminibus papyraceis ex Herculano erutis reperta et reliquiae aliorum scriptorum Epicureorum illis effossionibus in lucem prolatae magnam quam excitaverant exspectationem valde deminuerunt. Conradus Orellius quidem: ‚Adeo discerpta', inquit, ‚et lacera sunt (sc. fragmenta), ut in columnis etiam minus detritis vix tres quatuorve lineolas uno tenore perlegere possis, in plerisque autem nihil fere conspicias nisi singulas tantum vel voces vel literas vel literarum tantummodo apices ac obscura vestigia'. Etiam ea, quae post Orellii editionem prodierunt, similem ostendunt speciem; perpaucae columnae nulla lacuna leguntur, atque complures pagellae sic sunt deperditae, ut nullo modo legi possint. At certe interdum collectio prima et altera Neapoli evulgata et publicatio Oxoniensis et omnia, quibus explanandis imprimis Sauppeus, Comparettius, Spengelius, Ussingius operam dederunt, quaeque Gomperzius lithographice excusa promulgavit, ad confirmanda et supplenda ea quae ceteris scriptis servata sunt, multum habent momenti.

Plerumque tribus illis epistulis vitio vertitur, quod accuratio et elegantia disserendi in iis desideretur. Sed sunt epistulae, et iis quidem remissius agi de rebus solet. Praeterea Epicurus homines ad scripta sua,

quibus disciplinam non adumbravit, sed copiose explicuit, revocare tamquam ad commentarios potuit, si quae illarum verba parum dilucida erant. Contextus porro orationis et Epicuri et Diogenis multis sententiarum hiatibus impeditus atque scripturae vitiis innumeris contaminatus est. Etiamnunc quamquam cum alii tum Gassendus, Menagius, Schneiderus, Huebnerus, Cobetus eximiam in tollendis corruptelis consumpserunt sagacitatem et doctrinam, permulti loci medela critica sanandi restant. Difficultates augentur, quod Diogenes vir non magni ingenii, [5]) ad arbitrium sine dubio multos locos contraxit, omisit, quaedam de sua lectione similiter dicta inseruit [6]) itaque res non raro caligine obduxit. Qua fortuna factum videmus, ut quae apud Diogenem sunt, difficilem habeant cognitionem. Verumtamen Epicurus ipse intellectu erat facilis; Cicero enim: ‚oratio me istius philosophi non offendit; nam et complectitur verbis, quod vult, et dicit plane, quod intellegam'. [7])

Ad Laertiana accedunt multa disperse et diffuse ab aliis scriptoribus tradita, e quibus notitiam placitorum Epicureorum haurimus. Ut Cicero saepenumero hujus causae mentionem facit, praecipue in libris de finibus bonorum et malorum, de natura deorum, de divinatione, de fato, Academicorum priorum lib. II., Academiorum posteriorum lib. I; tum Seneca in epistulis, naturalibus quaestionibus, ludo, dialogis, beneficiis, fragmentis; dein Plutarchus imprimis in placitis philosophorum, in libro ‚adversus Coloten', ‚non posse suaviter vivi secundum Epicurum', ‚de tranquillitate animi'; porro Sextus Empiricus in πυῤῥωνείοις ὑποτυπώσεσιν et in libris adversus Mathematicos con-

scriptis; **Sancti** qui appellantur **Patres**; **Epictetus** in enchiridio cett; **Joannes Stobaeus** in eclogarum physicarum et ethicarum libris et in florilegio; **Suidas** in lexico s. v. Epicuri a. b. c. et alii.

Denique **Lucretius** de rerum natura carmine autore Epicuro disceptavit. Quatenus vero magistrum laudibus elatum secutus sit, quotque argumenta vel de suo vel aliunde deprompta addiderit, dubium est. [8])

Nec minus quidam alii Epicurei sectae suae disciplinam ita immutaverunt, ut non raro nos quid Epicuri, quid Epicureorum sit magis divinare debeamus quam dinoscere possumus. Quamquam enim Gassendus [9]) se attributurum dicit ipsi Epicuro, si quid dictum a Metrodoro, Herma(r)cho, Colote aliove quopiam ex illius sectatoribus, quandoquidem apud istos, ut Seneca habeat, quidquid dicat alius, ad unum referatur, — quamquam **Hegelius**,[10]) **Steinhartus**, **Zellerus**, [11]) **Ritterus**, [12]) omninoque plurimi historiae philosophiae scriptores potissimum illud Senecae et Numenium ap. Eus. pr. ev. XIV. 5. 3 s. respicientes negant hanc philosophiam progressionem fecisse, tamen discipulos non semper in verba magistri jurasse et testimoniis confirmatur et veri est simillimum. Velut Zeno ejusque discipulus Philodemus περὶ σημείων καὶ σημειώσεων scripserunt, [13]) cum Epicurus logicam neglexisset; praeterea Cicero [14]) recentiores Epicureos propriam protulisse argumentationem narrat; atque etiam Senecae aetate falso plerique Epicuri sectatores verbum voluptatis interpretati dissolute et prodige vivebant, ut is Stoicus, qui in ea sententia est — invitis hoc popularibus suis dicit — sancta Epicurum et recta praecipere, et si propius accesseris

tristia,[15]) delicatae et umbraticae turbae Epicureorum in convivio suo philosophantium, apud quos virtus voluptatum ministra sit,[16]) convicium faciat. Non sunt igitur hae et tales discrepantiae praetermittendae, sed discipulorum additamenta et errores indaganda neque auctori hujus disciplinae ascribenda. cf. annot. 111.

Maxima autem cautio adhibenda est in tractandis eis, quae plerique scriptores veteres, quos supra nominavimus, referunt. Etenim vel maxime Stoicis cum Epicureis illis temporibus inimicitiae intercedebant aliaque aliam secta humilibus et contemptis obtrectationibus insectabatur. Ferebantur sub nomine Epicuri epistulae specie veritatis a Diotimo Stoico exornatae, quae ad mores illius in deterius trahendos destinatae erant.[17]) Stoici etiam aucupiis verborum et literarum tendiculis usi depravabant scriptoris mentem atque affingebant enuntiata et rumores falsos dispergebant. — Quis est quin sciat quam facile sententia detorqueatur et fama bona violetur? —[18]) In posterioribus autem, quippe qui Epicuri scripta non jam legerent, tantum opinio praejudicata valuit, ut temere acciperent tradita. Quae cum ita sint, adversarii non incorrupti integrive testes habendi sunt. Cicero quidem in Epicurum non est ea aequitate, quam prae se fert atque, nolit velit, se ipse condemnat, cum ait:[19]) ‚quamobrem dissentientium inter se reprehensiones non sunt vituperandae: maledicta, contumeliae, tum iracundae contentiones concertationesque in disputando pertinaces indignae philosophia mihi videri solent.‘ Neque Plutarcho sine ulla dubitatione fides haberi potest; et is in Epicurum injuste consulit.[20]) Sancti denique Patres — ut alios omittam — nihil antiquius habent, quam ut paganismum,

quem vocant, refutent ejusque vim et dignitatem obscurent. Suidas prorsus incredibiles res narrat.

Itaque ut veram Epicuri contemplationem rerum restituam, pedetentim mihi erit ab certis progrediendum ad ea, quae minus manifesta sunt. Quia vero longior enarratio ab angustiis hujus dissertationis aliena est, multa non nisi leviter attingam et perstringam, non pauca, quae quidem magno argumento non sunt, omittam, plerumque quasi tacite dissensionem dijudicare pro viribus conabor atque ex ipsa explicatione elucebit, quam quoque loco scripturam et interpretationem secutus sim.

Litteras reliquas Fabricius bibl. gr., Steinhartus aliique satis enumeraverunt.

Tantum in universum praefatus accedo ad rem ipsam.

Ut aeque ac Epicurus, qui crebro dicebat, diligenter oportere exprimi, quae vis subjecta esset vocibus,[21] ratione et via procedamus, primum quid sit, de quo quaerimus, praescribendum videtur: Est philosophia actio cogitandi, qua beata vita efficitur.[22]

Partes et provincias constituit has: canonicam, physicam, ethicam.[23] A qua tripartita divisione Seneca non recedit,[24] cum naturali et morali parte nominata addat, necessitate ambigua secernendi falsaque sub specie veri latentia coarguendi Epicureos coactos locum, quem de judicio et regula[25] appellent, alio nomine rationalem induxisse. Quam partem rationalem non artem quaerendi et disserendi, quae λογικὴ dicitur, sed rationem cognoscendi (ut vernacule interpreter: Erkenntnisstheorie) intellegit.

Ac canonicam quidem, quam quasi accessionem ad omnem rerum investigationem habebant[26] et pri-

mam docebant,[27] et ego primam tractabo. Cum autem animi natura et causa cogitandi incognitis caetera non satis perspiciantur, initio qualis Epicuro videatur animus, tum quemadmodum sensuum et mentis affectiones gignantur, explicabitur.

Animus est corporis pars et ipse corporeus,[28] alioquin nec facere nec pati quidquam posset;[29] tenuissimis partibus constat, ut e corpore discedens ei nihil gravitatis auferat; calido spiritui simillimus, sed longe tenerior per totum corpus disseminatus est neque nisi in corpore, quo circumdatur, facultates suas servat. Animi partes Lucretius, Plutarchus[30]), Stobaeus describunt sic: calor, aer, ventus per corpus dissitus est, accedit quarta pars mentis vis quaedam, quae summa omnium tenuitate est, nominis expers; ea per artus didit sensiferos motus et est animae quasi anima. Animus autem vel ratio, mens, intellectus in medio pectore situs est; is sentit et cogitat, is movet regitque animam mente non praeditam et ad vitam dominantior est. Animus et anima conjuncta sunt atque unam naturam ex se conficiunt. Per sensuum membra atque mente ipsa res externas percipimus. Sensus bifariam dicitur, et instrumentum sive vis sentiendi (αἰσθητήριον) et res percepta (ἐπαίσθησις, ἐπαίσθημα). Mens et animus graece διάνοια nominari solet.[31]

Afficitur autem animus rebus hoc fere modo:[32] A rebus mittuntur summo de corpore quasi membranae dereptae, quae speciem ac formam ejus, cujus de corpore vagantur, gerunt et diu servant.[33] Quae simulacra e tenui natura constant, facile et celeriter gignuntur, perpetuo et summa mobilitate feruntur per inane et aerem, ‚multa modis multis in cunctas undique

partes.'[34]) Talibus imaginibus oculi tanguntur — ‚tactus enim, tactus est corporis sensus' — ut videamus. Quaedam vero simulacra adeo textu attenuata sunt, ut visum lacessere non possint, et haec quidem mente cernuntur, et cum vigilamus et cum somno membra profusa sunt. Cum longis interjectis intervallis haec ‚idola' ad nos affluunt, facile deteruntur et laeduntur. Interdum etiam in auris inter se junguntur, ita ut Centauri exempli gratia forma existat; illud quoque est, ut sua sponte fiant.

Neque vero aliter atque oculi nostri non nisi intenti et infixi vident, quae sub eos veniunt, animo res percipimus non nisi attendimus aliquid ex iis, quae semper recedunt a corporibus et celerrime concrescunt: ἅμα νοήματι adest simulacrum.[37])

Visum consimili ratione ac tactum moveri, vel inde intelligi potest, quod res in tenebris tactae eaedem cognoscuntur, quae in luce videntur.[38])

Effluxionibus ejusmodi reliqui quoque sensus feriuntur, ut suam quisque rem sentiant. Auditus enim pellitur missis vocibus corporeis, qnae in spatio non longo obtinent formaturas, per multum autem aërem transvolantes confunduntur, quae ceterum in multas voces diffugiunt. Olfactus odoribus a multis rebus exhalatis movetur. Ore sucum cibo mandendo expressum sentimus.

Quod vero sensus fieri possunt, ejus rei causae est similitudo rerum externarum et nostri animi (σρμπάθειχ)[39]) Denique cum semina in rebus varie confusa et permixta sint, sensio ex multiplici mixtura id quasi eligit, quod ei est conveniens; alius igitur alia ejusdem rei qualitate afficitur. Itaque, quod exemplum

affertur, vinum non vi calefaciendi praeditum est, sed tantum vini naturam concinne affectam calefacere potest, tantum aliam refrigerare. Quae decreta ad omnia referri debent, quae habentur et dicuntur dulcia, amara cett: tali modo sentientibus erunt talia, non erunt non ita sentientibus.[40]

Sensus porro omnes, ut Epicuri ratio docet, veritatis nuntii sunt.[41] Quid est enim, quod sensus refellere possit? Rationis et memoriae singuli sensus expertes sunt, non demere aut addere quicquam possunt, non igitur semet ipsos possunt reprehendere. Nec similis sensus similem convincere potest, ,ut visus dextri oculi visum sinistri, ut visus Platonis visum Socratis' (adicit Gass.), quoniam par utriusque vis est, nec dissimilis dissimilem, ut aures oculos (enarrat Luc.), quoniam non easdem res percipiunt.[42] Et ne ratio quidem sensus redarguere potest. Quidquid enim animo cernimus, id omne oritur a sensibus.[43] — Si omnibus sensibus repugnas, ne illos quidem quos falsos esse dixeris habebis quorsum referendo dijudices; vel ,nil sciri si quis putat, id quoque nescit an sciri possit, quoniam nil scire fatetur'. — Praeterea sublata cognitione et scientia tollitur omnis ratio et vitae degendae et rerum gerendarum; quaerit ille Epicureus: ,quomodo non in montem abit currens ille qui assensionem cohibet, sed in balneum? et in forum progressurus non ad parictem, sed ad januam accedit?' Ergo soli sensus ansam veri examinandi dant sensaque ab rebus haec ipsa efficientibus proficiscuntur, quae nisi existerent, ut videntur, non viderentur tales. Imaginationes quoque insanorum et insomnia vera sunt, quia movent, non autem movet, quod non est.[47]

Quodsi plures deinceps res eaedem aut similes exstrinsecus allatae sunt, comprehensio fit et memoria. Emergunt sensa, quae commune inter se vinculum habent, cum primum nomen significans eloquimur et ubi aliud animadvertimus, cui similitudo et cognatio cum illis videtur inesse. Hanc generalem rei cognitionem Epicurus appellat πρόληψιν, id est Latine conversum anticipationem vel praenotionem.[48]) Cui notioni ut lucem affundat Diogenes hoc utitur exemplo: ‚Tale est homo'; quod vocabulum simulatque nominatur excitat formam hominum, quae visis hominibus effecta est. Sine hac antecepta informatione nec quaeri nec dubitari quicquam nec nominari potest.[49]) Hae προλήψεις dicuntur ἐναργεῖς[50]); itaque cum omnium sensuum perceptio ἐνάργεια vocetur, verae habendae sunt.[51])

Quare error cum non a sensibus neque a notitia hac ratione sensibus creata, non igitur ab evidentia procedat, aliunde derivandus est. Etenim solus est animus, qui falli potest, cum de rebus ignotis opiniones profert. Propria autem causa errandi motus quidam videtur esse[52]), quem accipimus quique in nobis interrumpitur. Opiniones partim verae partim falsae sunt. Verae testimonio confirmantur aut non oppugnantur, falsae oppugnantur aut non confirmantur testimonio (ἂν μὴ γὰρ ἐπιμαρτυρῆται ἢ μὴ ἀντιμαρτυρῆται, ἀληθῆ εἶναι (δόξαν)· ἐὰν δὲ μὴ ἐπιμαρτυρῆται ἢ ἀντιμαρτυρῆται, ψευδῆ τογχάνειν).[53]) Dividendus est sensus in partem certam et incertam, ne omnes sensus tollantur neve tota ratio evertatur.[54]) Incertum vel id quod comprobationem exspectat (προςμένον) perpendere oportet et exempli causa propius accedere, ut qualis turris e propinquo videatur cognoscamus[55]) vel ut Sextus[56]) tradit

‚suspicor interjecto intervallo Platonem accedere; cum accessit, video, re vera esse Platonem'. Nec vero magis quam quae vox e longinquo auditur parva, falso dicitur audita, quod ex propinquitate major sonat, imago falsa est putanda, quae e longinquo visa minor est. Est et videtur simulacrum, quod per longum spatium advolans deminutum est, minus; quod contra sine mora in speciem incidit, majus est et videtur. Utrumque vero idem putare falsae opinionis est. Itaque cum sensus ipsi per se res cognoscere non possint, adicere aut detrahere affectionibus sensuum mentisque, quod opus est, animus debet, aut prorsus eas rejicere, ut Orestis sensus Furiarum veri illi quidem sed non pro corporeis et praesentibus habendi erant.[57]) Quod si fit, probata scientia efficitur atque rerum natura animi ratione perspicitur. — Ea, quae per se haud nota sunt neque unquam cerni possunt, concluduntur ita, ut omnibus quae apparent rebus commendentur, id est ‚ἀναλόγως τοῖς περιληπτοῖς' cogitentur. Denique normam, qua Epicarus sensus metiri atque corrigere eaque, quae in opinione ab iis, quae in natura sunt, distinguere voluit, nullam rem aliam ac consequentiam constantemque tenorem eventorum fuisse non temere suspicamur.[58])

Hac fere ratione Epicurus evixisse sibi videtur, in sensibus et anticipationibus posita esse veritatis judicia (κριτήρια). Si in eo numero Epicurei etiam τὰς φανταστικὰς ἐπιβολὰς τῆς διανοίας habebant,[59]) ab magistro non dissentiebant, utpote qui easdem induxerit ut criteria.[60]) Et quid haec verba (φαντ. ἐπιβ. τ. διαν.) sibi velint, conspecta ap. Diog. X. paragrapho 50 facillime intelligitur: en! ‚καὶ ἣν ἂν λάβωμεν φαντασίαν ἐπιβλητικῶς τῇ διανοίᾳ ἢ τοῖς αἰσθητηρίοις εἴτε μορφῆς

εἴτε συμβεβηκότων, μορφή ἐστιν αὕτη τοῦ στερεμνίου' κ. τ. λ. — Hinc sequitur, mentem sentiri imagines accipientem. Adde quod Diog. L. X 49 formas secundum aptam magnitudinem εἰς τὴν ὄψιν ἢ τὴν διάνοιαν incurrere dicitur. Huc quoque spectat, quod Lucretius IV 758 ss. tradit. Illi loci similes[61]) sua luce collustrant.[62])

Ut sensibus et, ut ita dicam, corporis et mentis atque praenotionibus ex his ortis res percipimus, quae sunt, ita affectus vel animi motus, videlicet voluptates et dolores, nos docent, quas res expetamus et fugiamus, et hac quidem mente ea quoque judicia sive criteria appellantur.[63])

Affectibus gignitur voluntas atque ita est efficax, ut, ubi simulacra motuum percepimus, anima per corpus diffusa pellatur pulsaque corpus agat. Liberam esse voluntatem Lucretius declinatione atomorum studet declarare.[64]) Atque etiam Epicurus ipse dicit, quod in nostra potestate sit, dominatione carere neque fato illi inexorabili obnoxium esse et eas ipsas res libere gestas subsequi reprehensionem et laudationem.[65])

Num autem appetitus sine ulla necessitate fieri placuerit Epicuro, parum constat.

Longior explanatio viae ab evidentibus ad ignota procedendi, notionum igitur et judiciorum et conclusionum supervacanea est; nec enim ad melius vivendum nec ad commodius disserendum est vis in dialectica Academicorum et Stoicorum. Physicorum scientia et verborum vis et natura orationis et consequentium repugnantiumve satis superque potest percipi. Abunde sufficit, nos vocabulorum significationes, quae quidem satis perspicuae sunt, sequi. Tantum discimus, totum illud ‚aut etiam aut non' Epicurum

negavisse esse necessarium (quam sententiam Zellerus aliique tuentur).[66]

In hac rerum cognoscendarum ratione expositionem desidero, qua unde animus facultatem ex se ipso propriaque vi cogitationes effingendi nactus sit appareat. Neque explicatum invenitur, quomodo mens ejus quod gerit conscia fiat. Haec utrum casu amissa an consilio omissa sint, equidem conjicere non audeo.

Proinde videamus, quae Epicurus de natura rerum disseruerit (φυσιολογία).[67]

Nulla res, opinatur, ex nihilo fieri potest; quod ni ita se haberet, omnia gignerentur ex omnibus neque quicquam egeret semine. Nulla res ad nihilum redigitur; jam pridem enim omnia interiissent. Proprie igitur ortus et interitus rejiciuntur — quod omnibus probatum est, quotquot mundum minutis materiae particulis constituunt —, sunt modo concretiones et secretiones.[68] Universum est aeternum et immutabile, quandoquidem praeter id nihil est, in quod mutari possit.[69] Constat omnis natura duabus rebus, corporibus et inani.[70] Corpora esse communis sensus per se testatur, ‚facere et fungi sine corpore nulla potest res'.[71] Nisi inane esset sive locus sive impalpabilis natura, corpora nusquam sita esse neque quoquam moveri possent.[72] Praeter haec duo principia nihil est, sed cetera omnia horum eventa reperiuntur. Ne tempus quidem per se est, sed diebus et noctibus horumque partibus conectitur, atque affectibus et tranquillitatibus, motibus et statibus; accidens vocatur accidentium (σύμπτωμα συμπτωμάτων).[73] Universum infinitum est; nam oporteret ultra omne aliquid esse, quo finiatur. Nunc vero extra summam nihil esse

potest, ergo caret universum fine. Lucretius non destiturum se esse quaerere dicit, ,quid telo denique fiat', quod quis in extremis oris stans jecerit; ut enim hoc nulla re impediente quo est missum advolet aut quominus perveniat prohibeatur, certo non a fine est profectum.[74] Et infinitus est mundus non solum multitudine corporum, verum etiam magnitudine vacui.[75] Corpora sunt partim primordia, partim eorum concretiones. Elementa necesse est et minima et individua et immutabilia sempiternaque sint et sola mente cernantur.[76] Hae atomi, quas appellant, nulla qualitate nisi figura, magnitudine; pondere praeditae sunt; color, tepor, frigus, sonitus, sucus, odor, sensus non inest eis: quae omnia quamquam sunt, tamen non sunt ipsae per se naturae, neque rei particulae, sed existimanda sunt accidentia; totum corpus ex his omnibus naturam suam conficit.[77] Qualitates mutantur, aliquid autem solidum et indissolubile rebus subesse oportet. Prima haec corpora per se moventur,[78] idqui perpetuo et aequa celeritate, siquidem per vacuum nullo impedimento feruntur.[79] Eorum mobilitas major est quam luminum solis.[80] Deorsum omne principio suo pondere ad lineam fertur, sed paululum aliquando declinat, non autem tantum, ut motus obliqui videantur.[81] Ea demum inclinatione fit primus ictus, fit πρῶτον illud κινοῦν. Deinde existit turbulenta concursio, quae est infra sensus; sed cogitatione eam fingere possumus, cum in solis radiis in obscura incidentibus corpuscula misceri et con fund videmus.[82] Similiter igitur in immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita vis volitat atomorum, quae interjecto inani cohaerescunt tamen inter se et aliae alias apprehendentes continuantur: ex quo res

omnes efficiuntur.[83] In hoc pulsu et repulsu quae condenso magis conciliatu exiguis intervallis convecta resultant, dura efficiunt, quae longe dissiliunt et recursant, rara.[84] Itaque omnis rerum varietas fit transmutationibus et accessu et recessu corpusculorum, vel, ut ait Lucretius, refert ‚cum quibus et quali positura primordia contineantur, quosque inter se dent motus accipiantque'.[85] Omne genus motus et coetus ex infinito tempore experta tandem ad tales dispositufas perveniunt, quales nunc cernimus.[86] In eodem motu quo nunc sunt semper principia eademque condicione res semper geruntur; neque enim quicquam ex omni effugere, neque in omne irrumpere potest, quo ordo mutetur,[87] eadem quoque sunt semper omnia neque quicquam est, quin jam fuerit aetate ante acta. Praeterea omnia constant permixto semine; non omnibus omnia paria sunt.[88] Neque omnia omnimodis conjungi possunt, nam vulgo portenta fieri videres.[89] Levia sensus jucunde tangunt, rescindunt sensuum vias (πόρους) aspera: alia tamquam titillant (γαργαλίζειν).[90] Atque etiam ipsi sensus oriuntur ex insensilium atomorum convenientibus motibus. Nimirum, nam nutrimentum quoque in animantia corpora vertitur et de putrefacto stercore existunt vivi vermes et ex ovis fiunt pulli.

Ex infinitate universi semper corpora advolant, quibus res aluntur. Atque minuuntur res usque et ad extremum in partes suas dissolvuntur.[91] ‚Assidue fluere omnia constat'. Geritur quasi bellum, nunc superant vitales motus, nunc superantur, et funere miscetur vagitus nascentium.

Ut omnia ita animus quoque interit, soluta corporis congregatione dispergitur.[92] Pariter enim cum corpore

crescit et senescit, ergo utique putandum est eum una cum tegimento suo perire; doloribus et morbis, qui sunt ‚leti fabricatores', animus afficitur; sanari potest medicina, mutatur igitur, immortale autem immutabile est; non meminit ante nos aetatem ullam degisse; in aëre vagans ictibus ventorum concutiatur et pervellatur necesse est. Quam mortalitatem aegre ferendam non esse Epicurus ejusque discipuli admonere non gravantur. Nam quod dissolutum est, sensu caret, nihil igitur est ad nos; cum nos sumus, mors non adest, cum mors adest, nos non sumus; qui non est, non potest miser esse.[93] Quamquam ‚jamjam non domus accipiet te laeta neque uxor optima nec dulces occurrunt oscula nati praeripere et tacita pectus dulcedine tangunt, non poteris factis florentibus esse tuisque praesidium', tamen desiderium harum rerum animo non jam insidet,[94] nec caret is, qui non desiderat. ‚Cur non ut plenus vitae conviva recedis, aequo animoque cupis securam, stulte, quietem?' interrogat Lucretius.

Mundus, qui est complexus caeli stellas et omnia quae videntur continens, non solus noster exstitit. Nihil enim impedit, quominus alii alibi congressus primordiorum fiant similes. Cum autem spatium et materies infinita sint, innumeri mundi prodierunt.[95]

Mundorum formae extremaque possunt varia esse. In media mundi regione terra sita est,[96] cujus corpora quod gravia et perplexa erant, infimas sedes ceperunt atque ea expresserunt, quae mare, sidera, solem, lunam, aetherem efficerent. Sustinetur terra aëre, qui ab ineunte aevo ei conjunctus et uniter aptus est.[97] Tellure exstiterunt fruges, arbusta, animantes.[98] Etiam monstra creata sunt, neque vero propagari potuerunt.

Caelestes et aëreas res tenendum est multiplicem habere generationis causam substantiaeque explicationem iis convenientem, quae apud nos animadvertimus.[99] Qui unam fiendi rationem statuunt, vituperat Epicurus, quod iis, quae apparent, reluctantur atque humanae intelligentiae fines excedunt; non secundum vanas enuntiationes et decreta de natura esse disserendum, sed ita, ut quae videantur flagitent. Itaque ortus et occasus solis ceterorumque siderum et per incensionem exstinctionemque et per apparentiam oppositionemque fieri possunt; nihil enim repugnat eorum, quae cernuntur.[100]

Magnitudo solis, lunae omniumque stellarum tanta est, quanta videtur, vel paulo aut major aut minor.[101] Etiam de astrorum conversionibus, defectibus, de nubibus, tonitru, fulgure, fulmine, terrae motibus, ventis, grandine, nive, rore, pruina, glacie, cometis stellis, eruptionibus ignium Aetnaeorum, Nili eluvionibus, locis Avernis,[102] de lapidibus Magnetibus aliisque praeterea rebus disciplina Epicurea exhibet explicationes.[103]

Noster mundus ceterique omnes, ut sunt nativo mortalique corpore, exitio dabuntur atque novi orientur.[104]

Haec autem omnia certo ac stabili ordine procedunt, ἀσείστως, ut ait Epicurus; omnino nihil validas aevi leges violare potest.[105]

Hoc naturae, ut ita dicam, foedus causa est omnium, quae sunt et erunt, nihil aliud regit aut ordinavit res. Natura mundum effecit, nulla mens, natura ipsa sua per se sponte omnia agit, non consilio principia rerum in suis se quaeque locis collocaverunt.[106] Ille error praemetuenter est vitandus, ne facias oculos creatos

esse, ut videre possemus, manus, ut facere, quae ad vitam usui sunt. Nihil enim est natum, ut uti possemus, sed quod natum est, id procreat usum; non praepostera omnia reddenda sunt, effectus non confundendus cum causa.[107])

Itaque dei mundi procreatores non sunt. Neque tamen deos esse negari potest. Nam in omnium hominum animis ipsa natura deorum sensus impressit, ut omnes gentes et genera hominum sine doctrina habeant deorum anticipationem.

Deorum imagines humanis formis simillimae, quas animo vigilante et magis in somno videmus, sunt adeo tenues, ut sola mente, non oculis cerni possint;[108]) defluunt igitur corporibus, quae tenerrima et rarissima natura debent esse[109]) et sedes nostris sedibus dissimiles habere; habitant enim dei in mediis mundorum intervallis, quae intermundia appellantur.[110])

Praenotione igitur adducti deos ut esse credimus, ita etiam beatos atque immortales cogitamus.[111]) Beatitudo deorum est summa, nullis occupationibus sunt impliciti, nulla opera moliuntur, sua sapientia et virtute gaudent, habent exploratum, fore se quum in maximis tum in aeternis voluptatibus.[112]) Quodsi, quidquid excellit, habet justam venerationem, cum pietate dei colendi eorumque dignitas et majestas in omnibus rebus servanda est. Et Epicurus socios hortatus est, ut ritui interessent.[113])

Quaecunque huic felicitati, et aeternitati repugnant, ad deos applicanda non sunt, putanda concinna. Itaque nec habent ipsi negotii quidquam, ut supra demonstravi, nec exhibent alteri, nec ira tenentur nec gratia, quod quae talia, imbecilla essent omnia.[114]) Nisi vero omni

curatione et administratione vacarent, sed rebus et hominibus providerent consulerentque, natura non tanta culpa praedita stare posset: arvi enim multum homini montibus, silvis, paludibus, rupibus, torrida zona et frigidis ereptum est, quod superest, magno labore colitur, cultum non raro fervoribus torretur aut imbribus et pruinis deletur. Cur porro ferae hominibus infestae terra marique aluntur et augentur? Cur anni tempora morbos apportant? Quare mors vagatur immatura? Cur infans tam egenus nascitur? Juppiter si deicit fulmina, cur ferit innocentes? Sed concedatur. Sint dei mundi aedificatores. Sed cur repente exstiterunt, innumerabilia saecula dormierunt? Quid novi quietos allicere potuit, ut mutarent vitam priorem? Quid beatis novitatis amorem accendere potuit? Laboremne fugiebant? Quid autem erat, quod concupisceret deus mundum signis et luminibus tamquam aedilis ornare? Varietate delectatur, qua caelum et terras exornatas videmus? Quomodo deus eodem temporis puncto ubique esse resque gerere potest? An haec hominum causa a deo constituta sunt? Sapientiumne? Propter paucos igitur tanta est facta rerum molitio. An stultorum? — Quid emolumenti gratia nostra immortalibus et beatis largiri potest? Quid mali nobis fuerat non esse creatis?[115])

Has et tales quaestiones Epicurus videtur posuisse, ut comprobaret naturam rerum non divinitus creatam esse nec servari. Nec mundus ipse, ut docet, animans est; animi enim naturam et intelligentiam in nullam nisi in humanam figuram cadere videmus. Praeterea iste deus summa celeritate contorqueretur, id quod molestum est, atque ejus membra essent partim ardentia partim refrigerata, nec quicquam ignoraret animus ho-

minis, si esset deus.[116]) Quare reprehendendi sunt ii, qui ignoratione causarum moti ad deos confugiunt, ut tragici poëtae, cum explicare argumenti exitum non possunt.[117])

Infelix factum est genus humanum, quod has res divis tribuit, in vulnera, gemitus, lacrimas maximasque animi pertubationes incidit. Multitudinis igitur de deis opiniones, divinatio, fati necessitas (εἱμαρμένη, ἀνάγκη), fictae veterum fabulae, omnis superstitio Epicuri ratione labefacta concidunt.[118])

Nonnullis Epicurus visus est, ne in offensionem Athenieusium caderet, verbis reliquisse deos, re sustulisse. Quos quod sequar non habeo. Neque Schoemanni illud usquam eomprobari video, sed omnibus nuntiis infirmari: „Ja auch seine (Epikurs) letztwillige Verfügung wegen der ἐναγίσματα zeigt wohl, wie er seinen philosophischen Lehren doch nicht so unbedingt vertraut habe, um die einmal herkömmlichen Religionsgebräuche ganz unstatthaft zu finden.“ Epicuri contra mos est, ut magna cum confidentia inventa pronunciet veritatemque sibi vindicet, non ut dubitanter incerteve incedat. Cic. d. n. d. I. Cf. quoque Sext. Emp. adv. m. VII. 321. Porro me probasse spero, cultum deorum ab doctrina Epicuri non dissidere.

Jam vero tertia philosophiae pars tractanda est, ratio beate vivendi, quae Epicuro omnium rerum gravissima videtur.

Finis, ad quem omnia referuntur, qui ipse ad nullam rem revocatur, est beatitudo (εὐδαιμονία). Cum haec adest, omnia habemus, cum abest, ut habeamus, omnia facimus.[119]) Posita est felicitas in voluptate. Atque hac mente voluptas dicitur summum bonum et

dolor summum malum.[120]) Qui affectus quemadmodum fiant, Lucretius his fere verbis describit[121]): materiae corpora ubi per viscera viva vi quadam sollicitata trepidant, dolor est, cum in sua quaeque loca revertuntur, blanda fit voluptas. Voluptatem solam naturae esse convenientem (συγγενικόν), exquisitis rationibus omnino non oportet confirmari, quia hoc sentimus, ut calere ignem, nivem esse albam, dulce mel. Omne enim animal simulatque natum est voluptatem appetit eaque gaudet ut summo bono, dolorem aspernatur et quantum potest a se repellit, idque facit nondum depravatum, ipsa natura incorrupte atque integre judicante (φυσικῶς χωρὶς λόγου).[122])

Voluptas non modo ea est, quae suavitate aliqua sensus movet, sed etiam quae percipitur omni dolore detracto. Ut enim cum cibo et potione fames sitisque depulsa est, ipsa liberatio molestiae consecutionem affert voluptatis, ita in omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis.[123]) Tum voluptas nobis opus est, cum quod non adest dolemus; cum egendi dolor abscessit, voluptate non jam indigemus. Quod Epicurus et voluptatem, quae est in motu, et stabilitatem voluptatis inducit (ἡδονὴ κατὰ κίνησιν et καταστηματική) a Cyrenaicis, qui tantum quae naturam movet statuunt, dissentit. Sed quietis voluptas non ita intelligenda est, ut elementa plane quiescant — nunquam enim moveri desinunt —, sed ut nihil perturbet consuetum motus ordinem.

Nulla deinde voluptas per se est malum. Atque si omnis esset perfecta neque ullas molestias afferret, voluptates inter se non differrent. Itaque si ea, quae

sunt luxuriosis efficientia voluptatum, liberarent eos caelestium, mortis, dolorum metu docerentque qui essent fines cupiditatum, nihil haberemus, quod reprehenderemus, cum undique complerentur voluptatibus nec haberent ulla ex parte aliquid aut dolens aut aegrum, id est autem malum. Nunc vero multas voluptates consequitur dolor, fluit voluptas corporis et prima quaeque avolat saepiusque relinquit causam paenitendi quam recordandi. Ergo, cum non singulae voluptates, sed totius vitae beatitas expetenda sit, multas voluptates praetermittimus, si major sequeretur molestia, et multos dolores suscipimus, ex quibus plus voluptatis efficitur.[124]) Deliberatione igitur opus est, ut utiles res secusne sint dijudicetur.[125]) Semper vero optimum est versari in doloris vacuitate: haec demum est firmissima et constantissima voluptas. Quam assecuti nihil jam desideramus, contenti sumus, felicissimi igitur; tum voluptas variari distinguique potest, augeri amplificarique non potest. Quapropter finis magnitudinis voluptatum omnis doloris privatio est. Hujus indolentiae (ἀταραξίας) felicitas paratur sanitate corporis atque animi tranquillitate. Itaque omnibus in rebus id est agendum, ut corpus sine dolore sit et animus sine perturbatione.[126]) Quocirca vitandum est imprimis quod ab naturalibus desideriis abhorret. Cupiditates sive appetitus partim depelli partim finiri debent. Sunt enim aliae naturales, aliae inanes; naturalium autem aliae necessariae et eae quidem ad felicitatem sanitatemque corporis atque ad ipsam vitam, aliae sunt solum naturales; vel ut alio loco dirimit Epicurus, sunt naturales et necessariae, quae satiatae dolorem tollunt ut potus sitim sedat, naturales et non necessariae, quae

modo variant voluptatem, nec naturales nec necessariae, ut coronae et statuae adipiscendae studium. Quarum ea ratio est, ut necessariae nec opera multa nec impensa expleantur; ne naturales quidem multa desiderant, quod ipsa natura divitias, quibus contenta sit, et parabiles et terminatas habet; inanium autem cupiditatum nec modus ullus nec finis inveniri potest.[127])

Pane et aqua si quis egens vescitur summa afficitur voluptate. Frugalitas multum confert ad bonam valetudinem. Praeterea ideo ea in victu continentia, bonum est, quod ea instructi, si forte sunt exiguae nostrae res, in tenuitate acquiescere possumus; necessariis autem rebus, cum facile parentur, vix privabimur. Si ad naturam vives, ait Epicurus, nunquam eris pauper, si ad opiniones, numquam eris dives; et ad Idomeneum scripsit: ‚Si vis Pythoclea divitem facere, non pecuniae adiciendum, sed cupiditati detrahendum est. Laeta paupertas est honesta res. Malum est in necessitate vivere, sed in necessitate vivere necessitas nulla est.[128]) Non nisi interdum, interjectis intervallis, licet magnificentia frui, eaque qui minime indiget, maxime fruitur. Luxu suavis vita non paratur, sed sobria sanaque mente. Morbi animi sunt cupiditates immensae et inanes divitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum; vulnera vitae avaritiam et honorum cupidinem appellat Lucretius, qui quidem clamat, animum vitiis omnibus esse purgandum, parvum esse tramitem, quo voluptatem assequi possimus. Magna in culpa sunt, qui blanditiis praesentium voluptatum corrupti, quos dolores excepturi sint, occaecati cupiditate non provident, quique officia deserunt mollitia animi. Sobriam et siccam voluptatem Epicuri esse

Seneca quoque sensit, et quam legem Stoici virtuti dicunt, eam Epicurus dicit voluptati: jubet illam parere naturae.[129])

Error igitur, quo quis putet asotorum voluptates et libidines ab Epicuro ut expetendas statutas esse, reiciendus est. Etsi contendit nasci animi voluptates et dolores e corporis voluptatibus et doloribus,[130]) tamen minime ignorat, quomodo motus naturales quasi educentur, excolantur totusque animus ad humanitatem erudiatur. Oriri autem ex sensibus animi affectus Epicurus quidem necessitate existimavit, nam omnia, quaecunque nos voluptate aut dolore afficiunt, per sensus ad nos affluunt. Hac ratione enodanda est illa ambiguitas, quam Epicuro de voluptate dicenti exprobrant. Modo de origine, modo de progressione loquitur. Sibi constat, cum ne intelligere quidem se posse dicit, ubi esset aut quod esset ullum bonum, si detraheret voluptates, quae sapore et aurium delectatione et speciosa forma et rebus veneriis capiantur sive quae aliae voluptates in homine quolibet sensu.[131]) Et crimen inconstantiae effugit, cum cygneam illam vocem edit: ,Quum ageremus vitae beatum et eundem supremum diem, scribebamus vobis haec. Tanti autem morbi aderant vesicae et viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere. Compensabatur tamen cum his omnibus animi laetitia (τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον), quam capiebam ex memoria rationum inventorumque nostrorum'.[132])

At traduntur Metrodori dicta, quibus omnia revocantur ad ventrem corpusque vel carnem (σάρκα). Beatum esse iste his fere descripsisse dicitur: cum corpus bene constitutum sit et sit exploratum, ita futurum, atque omnia pulchra et sapientia propter carnis

voluptatem esse.[133]) Quae quasi curtae sententiae atque inchoatae cur dicantur, ostendere me non posse fateor. Neque hujus loci est explicationis conatus, nam Epicuri, non ejus discipulorum rationem expono. Epicurus certe quidem duas semper res verbo voluptatis subjecit: laetitiam in animo et commotionem suavem jucunditatis in corpore, quamquam utrumque ita copulatum putat, ut divelli distrahique non possit.

Majores quam corporis sunt animi voluptates atque minores corporis quam animi dolores. Nam corpore nil nisi praesentia sentimus, animo autem et praeterita et praesentia et futura. Ut iis bonis, quae exspectamus erigimur, sic laetamur iis, quae recordamur.[134])

Virtutes denique expetendae sunt, quia voluptatem afferunt. Beatam reddit vitam voluptas, quae ex virtute est, non ipsa virtus. Sed beatus sine virtute nemo esse potest. Ex capitibus doctrinae illis unum identidem repetitum est hoc: non jucunde vivi potest, nisi sapienter, honeste, juste vivitur, nec sapienter, honeste, juste, nisi jucunde. Non igitur suo nomine, id est propter illam umbram, quod appellant honestum, laudatur virtus. Honestum quid sit, si id non sit in voluptate, negat Epicurus se intelligere, nisi forte illud, quod multitudinis rumore laudetur — etenim etiam a gloria proficiscuntur voluptates. — Ut medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonae valetudinis causa probamus, sic virtutes laudantur et conquiruntur, quod efficientes sunt voluptatis.[135])

Sapientia quidem, permagnum bonum, e quo omnes reliquae virtutes gignuntur, voluptatis causa optatur. Namque si vitam omnem perturbari videmus errore et inscitia, sapientiamque esse solam, quae nos a libi-

dinum impetu et a formidinum terrore vindicet et ipsius fortunae modico ferre doceat injurias et omnes monstrat vias, quae ad quietem et tranquillitatem ferant, quid est cur dubitemus dicere, sapientiam conquirendam propter voluptatem, propter molestiam fugiendam esse insipientiam.? Itaque veri indagandi omnis cupiditas fluit ex voluptatis studio, id est ex utilitate. Atque augetur scientia ad melius vivendum. Neque ulla est eruditio, nisi quae beatae vitae disciplinam juvat.

Totus igitur acervatae doctrinae ille cumulus, omnia, quae cum didicerit quis nihil sciat, removere Epicurus vult; nihil nocet si ignores, ab utra parte fuerit Hector aut primi qui sint versus Homeri carminum vel quae sint in medio. Maxime salutaris est causarum principalium cognitio, caeterae quaestiones per se felicitatem non efficiunt, timore non liberant. Cf. Heracliti illud: ‚πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει'. Num vero stabilitis literarum primordiis investigationem plane jacēre voluit? Gaudium quaerendi et inveniendi contempsit? Non perspexit, hominis esse in singulis quibusque rebus veritatem ad liquidum explorare studere neque satis habere scire quicquam his vel illis modis fieri posse? Haud scio an verum sit quod prolapsi in vitia saeculi pravam consuetudinem lugebat, ideo eum rem suam contrariam ursisse ac magna voce clamasse, principium et finem scientiae esse veram voluptatem, supervacanea disciplinarum non esse colenda, longe potius plus interesse, qualis sit homo, quam quae sciat? — ‚Edita doctrina sapientum templa serena' si essent tam inania, profecto non sedes tantae jucunditatis plenae praedicarentur.[136]) Atque etiam ipse Epicurus, si re vera

tam multa aliis deprompsit quam accusatur, plurima aliorum scripta perlegisse neque ita ineruditus censendus est. Praeterea Siro et Philodemus Epicurei cum optimi viri tum doctissimi homines dicuntur;[137]) an vero discipuli literas sciverunt: magister non item? —

Cum autem non satis sit judicare, quid aut facere aut intermittere debeamus, sed etiam stare oporteat in eo, quod est — judicatum, temperantia, fortitudo, justitia opus est, quas virtutes non propter se expeti manifestum est.

Temperantia enim pacem animis affert et nos quasi concordia quadam placat ac lenit atque prohibet in morbos graves, in damna, in dedecora incurrere.[138])

Fortitudo ideo adhibetur, ut sine cura metuque vivamus animumque et corpus, quantum efficere possimus, molestia liberemus. Neque enim laborum perfunctio neque perpessio dolorum per se ipsa allicit. Robustus animus et excelsus omni est liber cura et angore, mortem contemnit, fortunae non cedit, ad dolorem ita paratus est, ut meminerit maximos morte finiri, parvos multa habere intervalla requietis, mediocrium nos esse dominos, ut si tolerabiles sint, feramus, siminus, animo aequo e vita, cum ea non placeat, tamquam e theatro exeamus.[139])

Ne justitia quidem a voluptate secerni potest. Tranquillat animos. Potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest. ‚Nec facilest placidam ac pacatam degere vitam, qui violat factis communia foedera pacis'.[140]) Improborum facta plerumque primo suspicio subsequitur. dein sermo atque fama, tum accusator, tum judex. Quodsi qui satis sibi contra hominum conscientiam saepti esse et muniti videntur, deo-

rum tamen horrent easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi dies noctesque exeduntur, a dis supplicii causa importari putant. — Nescio an animi gaudium, quod recte faciendo et pulchre percipitur, etsi nulla externa utilitas acquiritur, non abhorreat ab hac disciplina.

Eadem ratio reperietur amicitiae, quae maxima, uberrima, jucundissima omnium est rerum, quas ad beate vivendum sapientia comparavit. Vita sine amicis insidiarum et metus plena est. Propter communionem quoque gaudiorum quaeritur amicitia. In hoc vitae spatio amicitiae praesidium est firmissimum, ad quod tuendum vel labores suscipimus. Atque tantum abest, ut sapiens semet ipso contentus amicis carere possit, ut aliquando pro amico mori paratus sit.[141])

Ut singulis hominibus, ita totis gentibus et civitatibus obversatur voluptas. Salutis enim causa homines cum dissipati more bestiarum vagari desinerent et coepissent connubia inire createaeque proli providere, casas et vestes sibi parare, cumque didicissent res varia voce secundum sensus varios significare — non enim positione (θέσει) oratio data est —, se ad societatem vitae convocaverunt, commercium habuerunt, amicitiam fecerunt, foedus ne laederentur neve laederent pepigerunt. Quo pacto jus naturae constitutum est. Nihil enim per se justum est neque per se injuria est malum. Qui ejusmodi pactionem facere non potuerunt aut noluerunt, ad eos nec jus nec injuria attinet. Quodcunque societati utile comprobatur, id justum est; si quae leges vel instituta saluti communi obsunt, non justa sunt. Simili ratione gentes finitimae inter se congregaverunt. — Leges essent supervacaneae, si omnes

intelligerent, quid prodesset, et tenerent. Poena est necessaria propter insipientes, quibus quid prosit admonitionibus persuaderi non potest.[142])

Sed existimationum Epicuri de re ethica exiguum numerum tamquam florum hinc inde decerptorum quendam fasciculum alligatum praebeo:

Et juvenibus et senibus philosophandum est, neque enim nondum neque non jam tempus est ad animi sanitatem.[143])

Futurae res neque in nostra potestate sunt neque omnino non ex nobis pendent.[144])

Non bonum aut malum a fortuna tribuitur, sed initia magna bonorum et malorum.[145])

Jucunda est omni ex parte mortui amici memoria.[146])

Est situm in nobis, ut et adversa quasi perpetua oblivione obruamus et jucunda jucunde ac suaviter meminerimus.[147])

Initium est salutis notitia peccati.[148])

Uni ex consortibus studiorum suorum Epicurus scripsit: ‚Haec', inquit, ‚ego non multis, sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus.[149])

Philosophiae servias oportet, ut tibi contingat vera libertas.[150])

Ridiculum est currere ad mortem taedio vitae, cum genere vitae ut currendum ad mortem esset, effeceris.[151])

Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, tamen miser est.[152])

Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante vivamus et omnia tamquam illo vidente faciamus.[153])

Inter caetera mala hoc quoque habet stultitia: semper incipit vivere.[154])

Nemo, quia orator, quamvis disertus, est, rempublicam bene gerere scit.[155])

Multis parasse divitias non finis miseriarum fuit, sed mutatio.[156])

Epicurus assidue queritur, quod adversus praeterita simus ingrati (id est quod negligamus parta et solum animadvertamus, quae desunt).[157])

Magnificentior, mihi crede, sermo tuus in grabato videbitur et in panno. Non enim dicentur tantum illa, sed probabuntur.[158])

Suavius est afficere quam affici beneficiis.[159])

Tunc praecipue in te ipse secede, cum esse cogeris in turba.[160])

Nemo debet quicquam adeo habere persuasum, ut de sententia deduci non possit, nisi sapiens.[161])

Nunquam volui populo placere, nam quae ego scio, non probat populus, quae probat populus, ego nescio.[162])

Ut ad postremum operi quasi fastigium imponam, de viro vere sapienti scribo, qui Epicuri disciplinam secutus ad summam perfectionem et absolutionem humanitatis venit. Non in omni corporis habitu neque in omni animi indole fit homo sapiens. Factus de dis immortalibus sine ullo metu vera et pie sentit; neque mortem timet, immo, si ita melius sit, de vita migrare non dubitat; sepulturam negligit; nullo tempore non plus voluptatum quam dolorum habet, beatus est, etiamsi torquetur aut in Phalaridis tauro uritur, oculis privatus vivere pergit; finitas quaeque facile explentur cupiditates habet; non Cynicorum more degit vitam, ne mendicare cogatur, rei familiari etiam in futurum providet

decore; mulierem vix adamabit aut in matrimonium ducet, quia multa incommoda nuptiis admixta et uxores in bonorum malorumque confinio sunt; cum ulla femina usum lege vetitum non habet; punit servos, sed misertus ignoscit strenuis; ab odio, invidia, injusta contemptione liber est, injurias potest perferre; famae opinionique non consulit, nisi ne contemnatur; ob quaedam vero male et injuste facta ira effervescet; in somno non perturbatur; arti oratoriae operam non dat; non accedit ad rempublicam, non regnabit vel regnum petet (Diog. L. X 119), regi officia, si tempora flàgitant, praestabit (Diog. L. X 121: μόναρχον ἐν καιρῷ θεραπεύσειν); ἀταραξίας coronam praeclariorem ducit quam magna imperia, bene latet (λάθε βιώσας); cum stultorum vitam cum sua comparat, magna afficitur laetitia, ,quibus ipse malis careas quia cernere suave est'; exigua ei intervenit fortuna,[163]) gravissimae res consilio ipsius semper administrantur et ratione; maxime vero in consideratione contemplationeque rerum versans gaudet. Sic vivit sapiens inter homines tamquam deus.

1) Natus est Ol 109,3 μηνὸς Γαμηλιῶνος ἑβδόμῃ; utrum autem mense Decembri anni 342 ad finem vergente an Januario anni 341 hoc factum sit, dijudicari non potest, quod menses, qui ad exaequandum solis et lunae annum intercalabantur (μῆνες ἐμβόλιμοι sive ἐμβολιμαῖοι), non ex ordine inseri solebant. Cf. Boeckhii „Zur Geschichte der Mondcyklen der Hellenen", E. Muellerum ap. Paulyum s. v. anni, Mommsenii „Heortologie". Omnes igitur qui aut annum 342 aut 341 natalem dicunt, incerta pro certis statuunt.

2) Cf. X 26 et 27. cod. Monacensis exhibet πρὸς τοὺς τετρακοσίους. Sed hic liber manuscriptus non multum fidei facit, cum nimium saepe monstra lectionis praebeat, neque in eorum numero est habendus, ad quos ars in Laertio critica est dirigenda, Burbonicum dico et Laurentianum plut. 69, 35.

3) In orbe, qui vocatur, doctrinae a Paulyo edito et in Ueberwegii historia philosophiae nominantur Epicuri libri de sectis et de plantis. Unde apparet, lectum esse ‚περὶ αἱρέσιων, περὶ φυτῶν,' quod etiam Ambrosius et Aldobrandinus interpretationibus suis expresserunt. Sed inter has duas particulas exstat in libris mss, qui notantur signis RRR, atque in codd. Venetis, Cantabrigiensi, Arundeliano ‚καὶ', Qua conjunctione indicatur, membra cohaerere eorumque significationes inter se esse accommodandas. Scriptura vero levissime ita mutata, ut legatur pro ‚φυτῶν' : φυγῶν, sententia efficitur aptissima. Saepissime enim apud Diogenem—ut silentio praeteream alios qui huc spectant libros — αἱρέσεις et φυγαὶ copulantur, r. X 30, 34, 37, 117, 128, 129, 132, 133 Accedit, quod non aliter ac nostro loco liber de fine juxta scripta de iis, quae vitemus et consectemur, § 136 collocatus est. Itaque illa mutatio, quam Gassendus fecit et Menagius probavit, necessaria esse atque illae enumerationes corrigendae videntur.

4) Harlesius et Buhleus, quod sciam, soli de fide addubitarunt.

5) Nietzscheus: „Beiträge zur Quellenkunde und Kritik des Laertius Diogenes:" „Bei einem Schriftsteller, der wie

L. D. so viel und mit solchem Unverstande abschreibt, muss man doppelt vorsichtig sein, wenn es gilt, persönliche Beziehungen, Ansichten, Neigungen und Abneigungen des Autors aus seiner Schrift herauszulesen." Similiter Steinhartus in Erschii et Gruberi „Allgem. Encykl." s. v. Epicuri.

6) Schneiderus: „Epicuri physica et meteorologica", et eum secuti Ritterus Prellerusque in ‚historia philos. graecae et romanae'. Quae quidem res notiores sunt, quam ut exemplis confirmem.

7) de fin I § 14; cf. 13; 27; Tusc. IV 6. Ritterus in „Gesch. d. Philos.": „Ruhige und klare Verständlichkeit fehlt ihm (Epikur) ganz." — Hegelius: „Vorl. üb. Gesch. d. Philos.": „Gottlob, dass sie (die Schriften Ep's) nicht mehr vorhanden sind! die Philologen würden grosse Mühe damit haben."

8) Vituperatores Lucretii, ut Braunius sacerdos, qui quidem in ‚Luc. de atomis doctrina' eum miserum philosophum dicit, putant non nisi ‚aliunde' sumpsisse nonnulla. Ceteri, poetae mentem vegetam agnoscentes ipsi tribuunt nova. Bernhardyus: „Von Epikur und seinen Anhängern empfing er nichts als das Gerippe einer Naturphilosophie." (röm. Lit.)

9) ‚syntagma philosophiae Epicuri' 1659.

10) „Vorlesungen über die Geschichte der Philosophie." II.

11) „Die Philosophie der Griechen in ihrer geschichtlichen Entwickelung." III.

12) „Geschichte der Philosophie." III.

13) v. Gomperzium „Herkul. Studien 1. Heft."

14) de fin I 69; 6; cf. 31.

15) Sen. vit be. 13, 1 (cf. 12, 4).

16) B. IV 2, 1; 13, 1.

17) Diog. L. X 3, ss; contumelias redarguere studet; sed est concedendum, illud ὡς μηδ' ἂν πόλεσιν ὅλαις μετρεῖσθαι δύνασθαι, tum ἄλεκτος διάθεσισ, denique ὑπερβολῇ ἐπιεικείας — hyperbolen esse.

18) Quemadmodum tunc maledictiones invicem datae et acceptae sint, ex orationibus quoque, quas Aeschines et Demosthenes de corona habuerunt, cognosci potest etiam Aristotelem Platonis calumniatorem esse crederemus, nisi verba ipsius servata essent haec: ἀνδρὸς, ὃν οὐδ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.

Cf. Gassendus ‚de vita et moribus Epicuri'.

19) Cic. de fin I 27 cf. de nat. d. I 1; nonnulla affero exempla: de fin II 51: verba sapientiae, fortitudinis, justitiae, tem-

perantiae perraro appellari ab Epicuro; 68: de obscoenis voluptatibus ab Epicuro saepissime dicitur; 68: ,tantis voluminibus de Themista loqui'; 109: ,voluptatem bestiis concedamus, quibus vos de summo bono testibus uti soletis'; 27: ,qualis ista philosophia est, quae non interitum afferat pravitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum'; 30 ,quae jam oratio non a philosopho aliquo, sed a censore opprimenda est'; 90 ,nec eum quod sentiat dicere existimo'; 70: ,quasi ego id curem, quid ille ajat aut neget: illud quaero, quid ei . . . consentaneum sit dicere,' 81: ,non quaero, quid dicat, sed quid convenienter possit rationi et sententiae suae dicere'. Quodsi Schoemannus in editione lib. de d. nat. contendit: Man wird geneigt sein, „bei Beurtheilung der philosophischen Schriften Cicero's nicht das stengste Mass anzulegen, und manche Mängel, die sich nicht ableugnen lassen, dem von Gram und Sorgen gefolterten und tiefgebeugten alten Manne zu Gute halten", — respondeo ipsius Ciceronis verbis usus: ,qui admonent amice, docendi sunt, qui inimice insectantur, repellendi.' Caeterum ad quam temeritatem Cicero interdum procedere possit, ex hoc quoque cognoscitur: ut demonstret, bestiis aliud quiddam propositum esse ac voluptatem, dicit nter alia, eas partim cursu et peragratione laetari. —

; [20]) n. p. s. v. s. E. 7: jam neque porcis cedunt, neque ovibus, in eo felicitatem statuentes, ut carni et animo de carne bene speranti bene sit. ib. 18 memorat supremum illum Epicuri diem, sed exhibet ,μνήμην τῶν ἀπολελαυςμένων πρότερον ἡδονῶν' pro eo, quod Diogenes, Cicero, Seneca testantur, τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογιςμῶν μνήνῃ! Quin etiam semel ita se ad sordes abjecit, ut erubesceres. — Plut. adv. C. 2 est hoc: beate vivere societati humanae conveniens esse, et amice temperanter, juste vivere, quarum rerum nullam relinquunt ii, qui circa ventrem esse clamant summum bonum. — A Gellius n. a. II 9: ,nimis minute ac prope etiam subfrigide Plutarchus in Epicuro accusando λέξεις τηρεῖ.'

— Caeterum rectissime Lewesius („Gesch. d. Philos."): „Eine Lehre," inquit, „wie die Epicur's wäre zu allen Zeiten grober Missdeutung ausgesetzt gewesen."

[21]) Cic. de fin II 6; I 19; Diog. L. X 37: Sext. Emp. adv. m. XI 21; πρὸσ γραμμ. 57.

[22]) Sext. Emp. adv. m. XI 168; cf. Diog. L. X 122, ubi philosophari cum felicitate et animi sanitate confertur.

[23]) Diog. L. X 30;

24) ep. 89, 11.

25) cf. Cic. de fin I 67; de nat. d. I 44.

26) Diog. L. X 30.

27) Sext. Emp. adv. m. VII 22; Cic. Acad. II 30; de fin I 7; Sen. ep. 89.

28) Diog. L. X 63.

29) Diog. L. X 67, Luc. III initio.

30) plac. phil. IV 3 et ad verbum fere Stob. ecl. I 41,1.

31) Gassendus (synt.) hoc quidem loco, Plutarchum plac. phil. IV 23 secutus, ut videtur, in errorem delapsus est; animi enim esse cogitare, animae affectus subire dicit.

32) Ep. ad Her. 46 ss. — Luc. IV 25 ss.

33) Unum nescio, quomodo Lewesius dicere potuerit: „Aber Epikur behauptete nicht, dass die ἀπόρροιαι Abbilder der Atome wären.“ Epicurus quidem de his effluxionibus ait: ‚τύποι ὁμοιοσχήμονες τοῖς στερεμνίοις' et ‚ἀπόρροιαι τὴν ἑξῆς θέσιν καὶ τάξιν (placet haec etiam Rosinio Gassendi conjectura, cf. D. L. X 48 et Herc. voll. tom I Ep. de nat. II col. 3) διατηροῦσαι (Gass. servant eundem positum ordinemque partium, quem in superficiebus corporum habebant), ἥνπερ καὶ ἐν τοῖς στερεμνίοις εἶχον (Diog. L. X 46). Sin autem L. verbo atomorum vim tribuit, invenire non possum, cur hoc fecerit. Cf. Sext. Emp. adv. m. VII 207.

34) Cf. Herc. voll. tom I. Ep. de nat. II. col. 1 ss.

35) Luc. II 434; I 304.

36) Cic. de fin. I 21; de d. nat. I 73; cf. Plut. plac. phil. IV 13; adv. C. 16.

37) Cf. Luc. IX 777 ss, V 141.

38) Luc. IV 230 ss.

39) Cf Cic d. d. nat. I 49.

40) Plut adv. C. 5-7, Luc. II 583.

41) Luc. I 694; IV 499. Cic. d. d. n. I 70; Plut plac phil. IV 9; adv. Col. 4; 5.

42) Diog. L. X 32; Luc. IV 486 ss.

43) Cic. de fin. I 64; Luc. IV 478.

44) Diog. L. X 164; Luc. IV 469 s.

45) Luc. IV 485, Cic. de fin I 64; Plut. adv C. 27.

46) Cf Sext. Emp. adv. m. VII 203; VIII 8; cf. Arist. de an. III 3: ‚ἡ μὲνγὰρ αἴσθησις τῶν ἰδίων ἀεὶ ἀληθὴς, διανοεῖσθαι δ' ἐνδέχεται καὶ ψευδῶς'.

47) Diog. L. X 32 s.; Plut. adv. C. 28; Luc. IV 762:

48) Optime mihi comparari cum appercipirenden Vorstellungs-

gruppen videtur, quas Steinthalus secundum Herbartum statuit.

49) Sext. Emp. XI 21 adv. M; πρόσγραμ 57; Diog. L. X 33.

50) Diog. L. X 33.

51) Quod innatam esse nobis praenotionem dixisset, Ciceronem Zellerus reprehendit. Cui adversatur Schoemannus — et alios ut Steinhartum, Ritterum et Prellerum annumerare potuit — disserens falso Zellerum interpretatum esse, Ciceronem enim, cum ‚innatam' diceret, significare voluisse „naturgemäss enstanden," non „angeboren" (in edit lib. Cic. d. d. n.) quo sensu semel (de Stoic. rep. c. 17) προλήψεισ vocentur ἤμφυτοι. Equidem hoc loco in neutram partem disputo, continendum enim est judicium de rebus dubiis.

52) Diog. L. X 50 et 51 (obscura sunt verba).

53) Diog. L. X 34; 50; 51; Plut plac. phil. IV 9; Sext. Emp. adv. m. VII 211; VIII 9; 63.

54) Diog. L. X 147.

55) Diog. L. X 34.

56) adv. m. VII 212.

57) Sext. Emp. adv. m. VIII 63; Luc. IV 384; 464.

58) Qua argumentatione patebit, speciosam illam opinionum mutationem omni parte ad indolem doctrinae Epicureae congruere, quod Ritterus Prellerusque nulla probabili causa negaverunt.

59) Diog. L. X 31.

60) Diog. L. X 38; 51; 147.

61) ut Diog. L. X 62; cf. supra.

62) Aldobrandinus igitur, qui quidem φανταστικὰς ἐπιβολὰς τῆς διανοίας ut ‚mentis notiones a visu impressos' transfert, — Ritterus contendens „die φαντ. ἐπιβ. τ. διαν. sind aber dem Epicur nichts andres als die πρόληψις. S. D. L. 38, 127" (quae paragraphus errore typothetarum videtur irrepsisse) (etiam confusius acta est res in Ritteri Prellerique libro, ubi legitur ‚φαντ. quae nostro loco dicuntur ἐπιβ. τ. διαν. et ipsae προλήψεις esse videntur, neque diversae ab imaginationibus per insaniam somniumve perceptis'), — Steinhartus: („das auf die Einbildungskraft gegründete Denken (φανταστικὴ διάνοια)" ist wohl schon in der πρόληψις enthalten, et „die freie Thätigkeit der Einbildungskraft, die sich zunächst als Aufmerksamkeit äussert": φανταστικὴ ἐπιβολή) — decepti sunt. Schoemannus: „Zur intelligentia im eigentlichen Sinne können sie (die προλήψεις) nur mittelst genauerer Untersuchung und rationeller Begründung werden, nach welcher der Geist forscht,

indem er sich anhaltend mit ihnen beschäftigt", was ἐπιβάλλειν, ἐπιβολή ausdrückt; — si iste ut Schneiderus, quem citat, disserit: ‚In epistulis Epicuri apud Diogenem plura sunt loca ubi ἐπιβολὴ applicationem et adversionem animi significat', subscribo; sin has φαντ. ἐπιβ. τ. διαν. interpretatur dictas eodem sensu ac „genauere Untersuchung", me assentientem non habet. Neque enim ullo modo dici potest, imagines nos mente percipere, si scriptor intelligi voluit, perceptas nos inquirere. Sed ἐπιβλητικῶς necessario hoc quidem loco exprimit „ein Hinwenden", „Hinblick" et ad sensus et ad mentem referendum est. Illa igitur est animadversio, sine qua nec oculi nec mens cernit, quae sub speciem cadunt. Cf. pag. 12.

63) Diog. L. X 34; 55; 63; 68; 147; cf 116.

64) Luc. II 251; cf. IV 877.

65) Diog. L. X 133 s; cf. fragm. ed. Gomperzius in „Sitzungsberichte d. Wien. Akad." tom. 83, p. 87 ss.

66) Diog. L. 31; 32; 33; 38; 104; Cic. de fin. I 7; 19; 22; 63; II 18; 26; de nat. d. I 25; 43; 70; Acad. II 30; 97; de fato 21; Sext. Emp. adv. m. VII 14 s.

Hic locus detur verbis Langei („Geschichte des Materialismus"):

„Nehmen wir diese drei Punkte zusammen: dass Epikur Autodidakt war und sich keiner herrschenden Schule anschloss, dass er ferner die Dialektik hasste und sich allgemein verständlicher Sprache bediente, endlich dass er nie citirte und die Andersdenkenden in der Regel einfach ignorirte, so haben wir hier wohl den wahren Grund des Hasses, den so manche fachmässige Philosophen auf ihn geworfen haben. Die Beschuldigung der Ungründlichkeit fliesst aus derselben Quelle, denn noch heutzutage ist nichts verbreiteter als die Neigung, in unverständlichen, durch einen Schematismus zusammenhängenden Phrasen die Gründlichkeit eines Systems zu suchen."

67) Praetereo quae imprimis de physicis ei exprobrantur; furatus esse plurima ab aliis dicitur. Quid erat, quod negligeret repudiaretque quae vera ante se excogitata arbitraretur? Quamquam similitudinum atque communium argumentorum numerum augere possum, nihil excusandum habeo. Cf. Goetheus noster: „Das alte Wahre, fass es an."

68) Diog. L. X 38; Luc. I 159; 215; II 1002; Plut. pl. phil. I 24, 2; Stob. ecl. I 20, 1.

69) Diog. L. X 38; Plut. adv. C. 13; Luc. V 351.

[70]) Diog. L. X 39; 40; 86; Luc. VI 941; Plut, adv. C. 11; Cic. d. d. n. I 73; de fin I 21.

[71]) Luc. I 440 ss; 420; Diog. L. X 39; 67.

[72]) Sext. Emp. adv, m. VIII 329.

[73]) Luc. I 459; Diog. L. X 72; 73; Sext. Emp pyr. hyp. III 137; adv. m. X 219; Cic. d. d. n. I 21; Stob. ecl. I 8, 40; Cf. Sext. Emp. adv. m. VIII 258.

[74]) Diog. L. X 41; Luc. I 958 ss.

[75]) Plut. plac. phil. I 18, 3; adv. C. 8; 13; Sext. Emp. adv. m. IX 333; Cic de fin. I 21; d. d. n. I 73; Stob ecl. I 17, 1.

[76]) Sext. Emp. X 142 adv. m.; Luc. I 550; cf. 253 ss; Stob. ecl. I 10, 14; Diog. L. X cp. ad. Her.

[77]) Diog. L. 44, 68, 54; Luc. II 737; Plut. plac. phil. I 1, 28; adv. C 7; Sext. Emp pyrr. typ. III 32; adv. m. IX 363; X 318.

[78]) Luc. II 133.

[79]) Diog. L. X 43.

[80]) Luc. II 162.

[81]) Luc. II 219; Cic. de fin. I 19; d. d. n. I. 73; 69; Plut. plac. phil I 23, 4; Stob. ecl. I 14, 1; 19, 1.

[82]) Luc. II 125.

[83]) Cic. d. d. n. I 54.

[84]) Luc. II 100.

[85]) Diog. L. X 55; Luc. II 1007; Sext. Emp. adv. m. X 42 ss.

[86]) Luc. I 102.

[87]) Luc. II 296; Eus. praep. evang. I 8, 9.

[88]) Luc. II 583; 338.

[89]) Luc. II 700.

[90]) Luc. II 402 ss; Cic. d. d. n. I 66, 113; Plut. n. p. s. v. 8; Athen XII 546 E.

[91]) Diog. L. X 73, 74; Cic. de fin. I 21; d. d. n. I 73; Plut. plac. phil. II 4, 2; adv. C. 16; Luc. V 280; VI 921 ss; II 573.

[92]) Luc. III 417—829; Diog. L. X 65; Plut. plac. phil. IV 7; n. p. s. v. 23; Stob ecl. I 41, 43.

[93]) De Gizyckius („Ueber das Leben und die Moralphilosophie Epikurs 1879") falso insimulat Epicurum hic captionem insinuasse opinatus mortuum esse recte hunc philosophum nullum malum censuisse, mori non item; ipsam enim animi corporisque distractionem Epicuro quidem ut dolorem malum putandam fuisse. Nusquam Epicurus prorsus negavit, in moriendo ipso esse dolorem Immoe xstat hic locus apud. Senecam (ep. 30, 14): ‚Dicebat qui-

dem ille Epicuri praeceptis obsequens: primum sperare se nullum dolorem esse in illo extremo anhelitu: si tamen esset, habere aliquantum in ipsa brevitate solatii.'

94) Diog. L. X 81; 124 s; 139; Sext. Emp. pyr. hyp. III 229; Stob. flor. IV p. 98; Luc. III 894; 938.

95) Diog. L. 45; 73; 88; 89; Luc. II 1048 ss; Cic. de fin I 21; d. d. n. I 73; II 48; Plut. plac. phil. II 1, 3; 2, 2; Stob. ecl. I 22, 3.

96) Herc. vol. tom. I Ep. d. n. XI vol. 1; Luc. V 450; 534.

97) Luc. V 536; Diog. L. X 74.

98) Luc. V 70; 783 ss.

99) Diog. L X 80, 86; 94, 98; Plut. plac. phil. II 13, 9; 21, 4; 22, 4; Luc. VI 703 ss; Sen. nat. qu. VI 20, 5.

100) Diog. L. X 92.

101) Diog. L. X 91; Luc. V 564; Cic. de fin. I 20; Plut. plac. phil. II 21, 4.

102) Ostendo, si placet, exemplum, quo qua ratione antiqui etyma verborum originesque derivaverint, intelligatur: Lucretius annotat, a re illis locis nomen esse impositum, quia sunt avibus contraria.

103) Diog. L. X ep. ad Pyth.; Luc. V; VI; Plut. plac. phil. II; III.

104) Diog. L. X 88; Luc. V 65.

105) Diog. L. X 87; cf. 77; Luc. V 56; 923.

Ritterus Epicurum hoc fere tradidisse contendit: „Diejenigen sind Thoren, welche annnehmen, dass eine jede Erscheinung, welche regelmässig wiederkehrt, nach einem nothwendigen Gesetze geschehe." —

106) Luc. I 1021; II 1090; V 419; Cic. d. d. n. I 53; Sen. nat. qu. prol. 15; Plut plac. phil. II 3, 2; Stob. ecl. I 21, 3; Suid. s. v. Ep. c.

107) Luc. IV 822 ss; cf. quae Empedocles et Democritus de hac quaestione disputaverunt, vide etiam Baconem cett.

108) Luc. V 1169; Cic. d. d. n. I 43; 46; 49; Sext. Emp. adv. m. IX 25; 43 (qui ex solis insomniis numinis cognitionem percipi indiligenter refert); Diog. L. X 124; Plut. plac. phil. I 7, 18; Diog. L. X 139 (de quo loco hujus rei studiosos ad Zellerum, Hirzelium, Schoemannum revocatos volo).

109) Luc. V 146 ss.

110) Luc. II 646; III 18; V 146; Cic. d. d. n. I 18; 46 ss; de

div II 40; Sext. Emp. pyrr. hyp. III 218; Plut. plac. phil. I 7, 18; Stob. ecl. I 2, 29; Sen. ben. IV 19, 2,

111) Immortalitas deorum argumentis non satis confirmata videtur. Quamvis enim tenuis sit eorum corporea natura, tamen plagarum non est expers, quandoquidem per omne semina conjiciuntur in mundos, offensa autem tandem interimetur. Ad hanc lacunam explendam Epicureum quendam aequabilem illam tributionem, quae Graece est ἰσονομία, assumpsisse verisimile est. Cf. Cic d. d. n. I 50; 68; qui solus hujus, quae putatur, naturalis legis mentionem facit. Omninoque subtiliores de hac causa quaestiones videntur Epicureis ascribendae esse, non Epicuro.

112) Cic. d. d. n. I 51; Sen. ben. IV 4, 1.

113) Diog. L. X 76; Cic. d. d. n. I 45; 56; Sen. ben. IV 19, 4; Philod. π. εὐς. col 110 p. 128. — Liberaliora igitur Epicurus de diis sensit quam omnes, qui cum Cicerone contradicere non nolunt: ‚Sin autem dei nec possunt nos juvare nec volunt, nec omnino curant, nec quid agamus animadvertant, . . . quid est quod ullos deis immortalibus cultus, honores . . . adhibeamus?'

114) Diog. L. X 76, 97; 123, 139; Luc. VI 68; Cic. d. d. n. I 45; Sext. Emp. pyr. hyp. I 155; II 4; III 219; Sen. lud. 8, 1; ben. IV 19.

115) Luc. II 177; V 156; 195; VI 393 ss; Cic. d. d. n. I 21—23.

116) Cic. d. d. n. I 23 ss; II 46.

117) Cic. d d. n. I 53; Luc. 1169 ss; VI. 54; vid. Plat. Cratyl. p. 425 D; caeterum jam Aristoph. Nub. 400 Socratem facit tradentem, Jovem non perjuros ferire, sed sui ipsius templum et magnas quercus, quae quidem perfidum sacramentum non dixissent.

118) Diog. L. X 76; 81; 87; 104; 123; 124; 133; 135; Luc. I. 80; II. 600; III. 978; V. 1194; Philodem. π. εὐσεβ.; Cic. d. n. d. I 42; 55; Sen. ep. 24, 18; Plut. plac. phil. I 8, 3; V. 1; — hoc non miramur, Epicurum ejusque sectam tantum liberationi superstitionis momenti ad vitam beatam tribuisse, cum in memoriam revocavimus, quantopere Graeci et Romani superstitione imbuti essent: illa ἱερομαντεία, οἰωνοσκοπία, διοσημεῖα, ὀνειροσκοπία, φῆμαι sive κληδόνες, illi haruspices, augures, harioli, vates, conjectores noti sunt omnibus; de gradibus templorum — ut et hoc utar exemplo — Vitruvius (de archit. III 3) hoc praeceptum fert: gradus in fronte constituendi ita sunt, uti sint semper impares.

Namque cum dextro pede primus gradus ascendatur, item in summo templo primus erit ponendus'. cf. Nietzscheus („Morgenröthe"): „Seid dankbar! — Das grosse Ergebniss der bisherigen Menschheit ist, dass wir nicht mehr beständige Furcht vor wilden Thieren, vor Barbaren, vor Göttern und vor unseren Träumen zu haben brauchen." Cf. Holbachii, ‚Système de la nature'.

[119]) Diog. L. X ep. ad Men. 122; 128; — 141; 148; Sext. Emp. pyr. hyp. III 187; adv. m. XI 73; 77; 169; 179; — Shelleyus („Dichtungen übers. v. Strodtmann" 1866): „Erst seit Kurzem hat die Menschheit eingeräumt, dass Glückseligkeit das alleinige Ziel der Ethik, wie aller andern Wissenschaften ist." —

[120]) Cic. de fin. I 23; 29; Tusc. V 73; Itaque hortulis Epicuri inscriptum erat: ‚Hospes, hic bene manebis, hic summum bonum voluptas est.' Sen. ep. 21. 10; Diog. L. X 128; Stob. flor. I p. 284; cf. Plat. Protag. 354 ss.

[121]) Luc. II 965.

[122]) Diog. L. X 137; Cic. de fin. I 30; III 3; Sext. Emp. pyr. hyp. III 194; adv. m. XI 96.

[123]) Diog. L. X 131; 139; II 89; Cic. de fin. I 37; 56; Luc. V. 14; Plut. n. p. s. v. 31.

[124]) Diog. L. X 129; 141; 142; 148; Cic. de fin. I 32; 33; 36; II 21; Sen. dial. VIII 7; 3.

[125]) Diog. L. X 132.

[126]) Diog. L. X 128; 141; 144; Luc. II 17; V 1203; Cic. de fin. I 38; Sen. ep. 66, 45; Plut. n. p. s. v. 8. Gassendus summum illud beatumque delineat ut statum, ‚in quo omnes vitae actiones placide simul atque jucunde peraguntur.' Schillerus ἀταραξίας vim quodammodo enarrat in „Ueber naive und sentimentalische Dichtung": „Das Höchste, wonach der Mensch zu ringen hat, ist, frei von Leidenschaft zu sein, immer klar, immer ruhig um sich und in sich zu schauen, überall mehr Zufall als Schicksal zu finden." Et: „Ruhe der Vollendung, nicht der Trägheit; eine Ruhe, die aus dem Gleichgewicht, nicht aus dem Stillstand der Kräfte, die aus der Fülle, nicht aus der Leerheit fliesst und von dem Gefühl eines unendlichen Vermögens begleitet wird." Cf. Nietzschei „Menschliches, Allzumenschliches" p. 241: „Jener milde Sonnenglanz einer beständigen geistigen Freudigkeit."

[127]) Diog. L. X 127; 149; Cic. de fin. I 45; II 26; Tusc. V 33; Stob. flor. I p. 281.

[128]) „Es ist keine Nothwendigkeit da, die ihn zwänge, in Noth zu leben" (Schweglerus „Gesch. d. griech. Philos.")

[129]) Diog. L. X 130; 131; 144; 146; Luc. II 20; V 1118; VI 27; Cic. de fin. I 33; II 91; Sen. ep. 2, 5; 4, 10; 12, 10; 14, 17; 16, 7; 21, 7; dial. VII. 12, 4; 13, 1; Stob. flor. I p. 281, 284. Ipsius magistri continentiam et sobrietatem ne Chrysippus quidem negat (Stob. sermo de venere et amore 61), atque Gregorius Nazianzenus eum dogma moribus probasse testatur. Cf. Diog. L. X 11 s (ubi caseum postulat Epicurus). Praeterea — testes sunt Cicero (de fin II 25; V 5); Eusebius (pr. ev. XII 5); Diogenes (X 11) — Epicurus bonus vir et comis et humanus fuit. Quin etiam certos habebat dies ille magister voluptatis Epicurus, quibus maligne famem exstingueret, visurus, an aliquid deesset ex plena et consummata voluptate, vel quantum deesset, et an dignum, quod quis magno labore pensaret (Sen. ep. 18, 9).

Caeterum Ritterus ad illud ‚non nisi interdum': „Damit er (der Weise) um so mehr und um so sicherer die Genüsse der Schlemmer zu empfinden vermöge." Et al.: „Das atomistische System hat von jeher denen zugesagt, welche dem sinnlichen Genusse fröhnen", quod ad Epicurum spectat.

[130]) Cic. d. n. d. I 111; Plut. n. p. s. v. 5.

[131]) Diog. L. X 6; Cic. de fin. II 7; 20; 23; 29; 30; Tusc. III 41; Athen. VII p. 280 A.

[132]) Diog. L. X 22; Cic. de fin. II 96; Sen. ep. 66, 47; 92, 25.

[133]) Cic. de fin. II 92; d. n. d. I 113; Tusc. II 17; Plut. n. p. s. v. 3; 4; 16; adv. C. 30; 31; Clem. Alex. strom. II 22, 131; Athen. VII p. 279 F; XII p. 540 E. Cf. Sen. ep. 52, 3.

[134]) Diog. L II 87; 89; X 136; Cic. de fin. I 55; 57; d. n. d. I 89; Plut. n. p. s. v. 4.

[135]) Diog. L. X 132; 138; 140; Cic. de fin. I 61; II 49; Sen. ep. 85; 18; Plut. n. p. s. v. 2; 18.

[136]) Luc II 8.

[137]) Diog. L X 78; 79; 82; 85; 87; 132; 142 s; cf. 112; Cic. de fin. I 71; 72; 46.

Cic. de fin. II 119, cf. praefatio tomi primi Herc. vol. 1793. Cf. or. in Pisonem c. 28. Gassendus (‚de vita et moribus Epicuri') sic fere disputat: ex eo quod supervacua ex disciplinis rescindi voluit, arrepta est occasio evulgandi, quod disciplinas oderit. Cum ille porro locus (Diog. L. X 6) παιδείαν fuerit ex suppositiciis, ut Diogenes indicat, quid putas, dicendum erit ad Athenaeum, Plutarchum et alios, qui amplificationes suas vel ex eo loco sumpserunt vel ex aliis ejusdem farinae (spuriis puta) operibus? Empiricus autem dubitanter et ex conjecturis loquitur; cumque